



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

1. Qualiter Episcopus suam parœchiam debet circuire.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622



INCIPIT LIBER SECUNDUS.

IN SUPERIORI LIBELLO
quid Episcopo vel ejus ministris cum
ecclesiasticis viris sit agendum & in sua
synodo requirendum ex parte notavimus.
Nunc quid cum secularibus & laicis sit
agendum vel agere oporteat, prout Domi-
nus dederit percurramus.

Qualiter Episcopus suam parrochiam debet
circuire. *Ex Concilio Rotomagensi.*

I. **C**UM Episcopus suam diocesim circuit, Archidiaconus vel Archipresbyter eum praire [debet] uno aut duobus diebus per parrochias quas visitaturus est; & plebe convocata adnuntiare debet proprij pastoris adventum, & ut omnes ad ejus synodum die denominata imprætermissec occasione omnimodis ex auctoritate sanctorum canonum præcipere, & minaciter denuntiare quod si quis absque gravi necessitate defuerit, procul dubio à communione Christiana sit repellendus. Deinde ascitis secum Presbyteris qui illo in loco servitium debent exhibere

Burchard. lib.
1. c. 90.

Episcopo , quicquid de minoribus & levioribus causis corrigere potest , emendare satagit ; ut Pontifex veniens nequaquam in facilitiobus negotiis fatigetur , aut ibi immorari amplius necesse sit quam expensa sufficiat . Ait enim Dominus ad Moysen de hujusmodi cooperatoribus : *Vt tecum sustentent onus populi , & non tu solus graveris.* Et beatus Johannes Baptista adventum Domini præcurrit prædicando dicens : *Pœnitentiam agite &c.* Et idem Parate viam Domino . Siquidem Episcopus vicem Christi agere videtur . Et ideo cum gaudio , timore , & summa reverentia à plebis sibi subjectis suscipiendus est , ut illis cum laude dicatur quod Apostolus discipulis dicit . *Testimonium , inquit , vobis perhibeo quod ita suscepistis me sicut angelum Dei , sicut Dominum Iesum.*

De juratoribus synodi. *Vnde supra.*

Burchard. lib.
I. c. 91.

II. Episcopus in synodo residens , post congruam allocutionem , septem ex plebe ipsius parrœchiaæ vel eo amplius aut minus , prout viderit expedire , maturiores , honestiores , atque veraciores viros in medio debet evocare , & allatis sanctorum pigneribus unumquemque illorum tali sacramento constringat .

Sacramentum synodale.

Burchard. lib.
I. c. 92.

III. Amodo inantea quicquid nosti , vel audisti , aut postmodum inquisitus es , quod contra Dei voluntatem & rectam Christianitatem in ista parrœchia factum est , aut infuturum erit , si in diebus tuis evenerit , tantum